Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1971

Quelle:
Copyright:

Wolfg. Widman Cos. *Lipſ.* ad *Lutherum*. Petit certior fieri, an Epiſtola *n.* 10. allata reapſe illius ſit. Init: *Es wird ain Copey aines brieues in Eurem namen* &c. Die *Veneris poſt Georgii.* 1533. 14.) *Lutheri* Reſponſum. Jubetur Conſul prius edicere, quis ad ſcribendum inſtigaverit, num *der pfarrer zu Coln, oder der Meuchler zu Dresden, oder aber nur Junkher Herzog Georg.* Init: *Erſamer Meiſter guetter fraindt, ich hab eur ſchrifft empfangen* &c. 15.) Ejusdem ad Cos. et Judicem in *Frauenſtain.* Quid agendum iis, qui ad Communionem ſub una ſpecie adiguntur. Init: *Ich hab vernuhmen euer anligen* &c. Has Epiſtolas maximam partem impreſſas haberi, nullus dubito.

XIX. *fol.* 741. *Theophilus* et *Echo.* Dialogus geminus illi, quem *Cod.* CCCCLXXXIII. *Philalethis* et *Genii* diximus. Concilii *Tridentini* irriſio hoc ingreſſu: *Promptane eris Echo ad reſpondendum ſi quid interrogavero?* Echo. *Ero* &c.

DIV.

928 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 162. 4. quorum tamen non pauca vacua, compilatus eſt e variis Proteſtantium Epiſtolis, aliisque ad Sacra pertinentibus Scriptis hac ſerie. I. *Epiſtola Vitebergenſis cujusdam ad amicum ſcripta.* Initium: *Quod Gregorius de Synodis ſui temporis ſcribit, nullius vnquam finem vidiſſe bonum, quod* φιλονεικιαι *et* φιλαρχιαι *Theologorum verum eos cernere aut dicere non ſinerent, idem multo ante de colloquio Aldenburgenſi prædiximus* &c. Habitum eſt Colloquium iſtud inter Theologos Electorales et Ducales ab *Octob.* 1568. ad *Mart.* 1569. nullo fructu, Electoralibus crimen hallucinationis circa Juſtificationem, liberum Arbitrium &c. a ſe depellentibus.

II. *fol.* 5. *Epiſtola D. Cythræi ad Beatum ex Auſtria ſcripta.* Notum eſt, evocatum fuiſſe *Roſtochio Dav. Chytraeum* ad ordinandos Proteſtantium in *Auſtria* Coetus. Interea *Joh. Beatus* ſive *Saliger, Seliger* a *Lubecenſibus* a. 1568. dimiſſus et a *Roſtochienſibus* receptus in Miniſterium opinionibus ſuis maxime circa S. Caenam turbas inſtaurabat. Hinc Monitoriae praeſentes, datae, ut in Collectione *Epiſtolarum Chytraei Hanoviae.* 1614. p. 670. video, *Viennæ Auſtriæ, 18. April.* 1569. Quod Editor *Chytraei* Filius Patri ὁμώνυμος e calce reſecandum duxit, e *Codice* ſubpleo: *Neque verum eſſe credo, quod ab omni pietate et humanitate alienum eſt, te amicorum literas et ſermones priuatos et familiares ad alios efferre, et in publico iudicio dictare, tametſi inter cetera quoque ad me perſcriptum eſt. Nec tamen impedio, quo minus hanc Epiſtolam, qui volet, legat.*

III. *fol.* 13. *Epiſtola D. Lucæ* (Backmeiſter) *ad M. Joannem Vorſtium. Clariſſimo et venerando*